PROBLEMA RHETORICUM VIRTUS NE HONORI, AN VIRTUTI HONOR...

Tommaso Reviglione

PROBLEMA
RHETORICUM

Virtus ne Honori, an Virtuti Honor Famæ Incrementum debeat magis?

HABITUM

Ab Rhetoribus Academiæ Partheniæ in Aula Collegii Neapolitani Maximi Soc. Jesu

CORAM

ILLUSTRISS. AC EMINENTISS. DOMINO

D. JOSEPHO SPINELLO

S. R. E. Cardinale Amplissimo, ac Ecclesiæ Neapolitanæ Archiepiscopo Vigilantissimo.

EXCELLENTISSIMÆ DOMINÆ

D. MARIÆ IMPERIALI

Fuscaldi Marchionissæ, Caivani Duci, &c.

DICATUM.

AUTHORE

P. THOMA REVIGLIONE è Societate Jesu.

NEAPOLI MDCCXXXVI.
Typis Januarii, & Vincentii Mutio;
Superiorum Permissu.

EXCELLENTISSIMÆ DOMINÆ,

DOMINÆ

MARIÆ IMPERIALI

Fuscaldi Marchionissæ, Caivani Duci, &c.

FELIC.

TIBI potissimùm, Excellentissima Princeps, Poeticos hosce lusus, quos de Eminentissimo nostro Archiepiscopo Filio tuo, D. Josepho Cardinale Spinello, non tam calente vena, quàm prægestientis animi significatione in medium attuli, inscribendos existimavi. Quid ni Tibi nostra Consecretur Musa, à qua una spiritum ducit, & famam: Imò quæ Tua est? Quia in Tuæ Familiæ, in cujus sanguinis laudibus occupata, sensim adolescit, & humo tollitur: nusquam de se speci-

cimen nobilius factura, quàm ubi in tantæ gloriæ Segetem iverit; nusquam majus meritura decus, quàm ubi Spinelli Nominis Famam Posteris, hoc est Æternitati transmiserit. Non ea hìc mihi mens, Excellentissima Princeps, in amplissimas Spinelli, Imperialisque Generis laudes descendere: hoc enim esset annorum, non unius Epistolæ opus. Nec talis es Tu, quæ adscititio indigeas fulgore, ut pateas; tua, instar solis, te luce signas, tuis prodis luminibus. Quis enim adeò inscius Annalium sit, quem lateant tot præclarissima Atavorum tuorum facinora; tot Viri conspicui, vel Infula venerandi, vel sacro insignes murice, vel Præfecturis Provinciarum, ac Regnorum nobiles, vel Regiis, ac Pontificiis clari Legationibus? Quis adeò hospes, ac peregrinus, ad cujus aures tot, tantique domus tuæ Tituli, ac Principatus non pervenerint? Quis in te una, Majorum tuorum egregias dotes complexas, & auctas non est admiratus? At hæc, & alia quamplurima, quibus Excellentiss. Tua, Filiiq; tui Familia splendidiùs emicat, quà Naturæ, quà Fortunæ beneficio, Famæ insignia (etiam ut Modestiæ tuæ obsequar; nam laudanda cùm geras, laudes aversaris, & fugis) libenti animo prætermiserim.

ſerim. Invitavit me quoque Amor tuus cunctis notus, quo Societatem noſtram foves, ac promoves. De quo (ut cætera ſileam) fidem facit, Paulæ, cui praees, Collegium copioſis non minùs redditibus, quàm animi ſignificationibus per Te cumulatum: Accedit (& illud maximè) quod cùm de Eminentiſſimo Filio tuo Verba facerem, Tibi peculiari titulo dicanda erat Poeſis noſtra, quæ flores ſuos Tibi non tam ſiſteret, quàm redderet. Triumphabit illa profectò tuis ſub auſpiciis, ac de Eminentiſſimi Præſulis judicio nunquam ſecura non erit, cùm probata ſit tuo. Verebar enimverò, ne ad Eminentiſſimi Principis ſolium Apollo noſter iturus, tanto ſe minorem faſtigio experiretur: quemadmodum enim me imbecillitas Ingenii mei non præterit,ità ex Horatio diù novi, Heroùm geſta indigno non committenda Poetæ. *Sed (quamquam Eminentiſſimi noſtri Præſulis humanitas tanta eſt, ut omnem ſuperet majeſtatem) ubi per tuas manus hæc illi, ut ut parva, pervenerint munera, pretium, quod in se non habent, accipient de Tuo. Sic Flumina, exiguo licet aquarum cenſu currentia, quò ſemel in mare ſe invexerint, in mare & ipſa abeunt. Quare benigno vultu, ac ea comitate, quæ*

animo tuo indita à Natura est, leve hoc observantiæ meæ argumentum excipe; & ad Familiæ decus, ad Musarum lenocinium, ad Patriæ utilitatem diù vive. Ita precor ex animo.

Exc. Tuæ

Humillimus, atq; omni obsequio addictiss. Servus
Thomas Reviglione Soc. Jesu.

PROBLEMATIS EXPOSITIO.

QUÆ res in Civili hominum Commercio duæ plurimum possunt, Proceres omni laudum cultu ornatissimi, hæ ad assequendam Nominis immortalitatem ambæ potissimùm faciunt, Summa Virtus, & Gloria: quarum altera alteram fovet, ac promovet; & sibi invicem sociatæ splendorem acquirunt, & communicant. Ad honoris apicem Virtus, suapte naturâ, tendit; nec Virtuti uni honorem deberi ullus inficias jerit. Virtus enim, etsi una sibi pretium sit, & merces, nescio tamen quo fato, & ipsa deficiet, ubi debito honore viduetur. Honor contrà, ubi Virtuti non insederit, quid, nisi magni Nominis umbra? Sic enimverò pro comperto semper habui, & Virtutem gloriæ, & Virtuti plurimùm gloriam debere: altera quippè alteri copulata & summam sibi mutuatur, & impertitur Nominis claritudinem: Non secus ac gemma, quæ exteræ licet non indiga lucis, lucis sibi incrementum adsciscit, monili inserta. Et sanè: quid tot, tantisq; Viris, qui famæ studuerunt, contigisse arbitramini? Nemo unquam, sine spe magna gloriæ Magna est aggressus, implevit Maxima; nec ulli honor unquam congruit benè, quem Virtutum insignia non decorarunt. Suspexit Ætas superior immortalitati consignatum Cæsarem; suspexit Pompejum. Suspicit præsens (ut alios Heroas quà bello, quà literis illustres prætercam) quamplurimos hujus for-

tunatissimæ Patriæ Parentes, Majores nostros: sed Virtutis, & Gloriæ præsidio ad famæ fastigium evectos demiramur. Hoc veluti gemino librati alarum remigio in hoc amplissimo humanæ Vitæ cursu, Æternitati velificarunt. Honor Virtuti calcar subdit; Honori Virtus. Amoto gloriæ lenocinio, torpescit Virtus, nec ad ardua trahitur: Virtutis amoto patrimonio, nihil boni ostentat gloria, honor nihil. Quamquam verò & Virtus honori, & Virtuti honor plurimùm faveat; Illud tamen vobis, Academici, discutiendum relinquo, Uter utri debeat magis, *Honor ne Virtuti*, *an Virtus honori*? Non iniucunda accidet vobis hæc disputatio, Proceres præclarissimi; sed Tibi cumprimis, Princeps Eminentissime, quem honore, ac Virtute ad invidiam cernimus cumulatum. Tibi hoc quodcumq; laboris est, instituitur, & sacratur: Te enim potissimùm designat Academiæ nostræ instituta Concertatio. Et quamquam fortasse miratus sis, quod statim ab adventu tuo in hanc nobilissimam Urbem, quam regendam suscepisti, in, debitas cæteroqui, animi significationes Poesis nostra non eruperit; & manus quasi sub pallio tenens, nullos Parnassi flores, nulla Musarum Svaviludia in medium, ad hoc usq; tempus, exhibuerit: Indignum, nec in speciem abs re, ratus nos unos conticescere, ubi totus Neapolitanæ Urbis cœtus se tuos daret in plausus; nos, inquam, quos juremeritò decet ad tui Nominis honorem adsilire, peculiari nexu tibi obvinctos, beneficiorumq; tuorum minimè immemores. Verùm, haud ingrati animi vitio, sed temporis potiùs incommodo, vertas

id

id velim. Musis partim sudore effluentibus; partim autumnali otio feriatis, concepta animo gaudia in medium afferre Apollini nostro non vacavit. Ut illæ ad pensum revocatæ, manus ad tabulas porrigunt tuis laudibus occupandæ. Quàm benè tuis sub auspiciis Pindum scandimus, nunquam Carminibus materie deficiente, cùm Te laudaverint. Ultrà se ferri Academia nostra sibi visa est, quòd in prima Sui Instauratione, primas Tibi impenderit, tuo cumulanda sub patrocinio. Quare vultu, quo soles, hilari, PRINCEPS EMINENTISSIME, vagientis adhuc Musæ nostræ obsequia Excipe; Majora olim daturæ, cùm tuis sub umbris, tuaq; sub tutela adolescere incipiat.

PRIOR DISSERTATIO.

DEmandatam mihi Provinciam volens lubensq; suscipiam, Eruditissime Princeps; utq: Veritati magis, quàm ingenio obsequar, ajo: Honori in primis Virtutem debere suæ Famæ incrementum; Honori decus, & Nominis Claritudinem. Rem paucis conficiam: luce enim se prodit sua, nec alieno indiget fulgore, ut omnibus in aperto sit. Et sanè: quamquam Virtus, ut optimè ait Horatius, *intaminatis fulgeat honoribus*, in se se & habeat tantum, quo Mortalium animos alliciat; nescio tamen quâ seù Fortunæ injuria, seù temporum Calamitate, ubi nullo exteræ lucis adjumento suffulta, & veluti excitata fuerit, & ipsa identidem deficiat necesse est. Virtus sine honore, Sol sine luce, sine Vita Corpus, sine facibus Cœlum.

Parum sepultæ distat inertiæ, non minori mentis acumine subdit idem Horatius, *Celata Virtus*. At quonam pacto se spectandam Virtus dederit, sine honoris operâ, ac Magisterio? Honor suo in lumine Virtutem collocat, ac intuentium oculis subjicit; Honor sua luce circumfundit, ut quanta illa sit, facili negotio appareat. Quid intersit fortis ne, an imbellis existas, si lateat Fortitudo? Sapiens ne, an ignavus, si Sapientia delitescat, nitoresq; supprimat suos? Tota igitur, quanta illa est, Virtus Honori debet, quo sine, in hoc Terrarum theatro singulare de se Specimen nunquam, aut rarò exhibuerit. Auribus non semel percepistis Celebre Effatum illud: DA OCCASIONEM SAPIENTI: quasi verò Virtus Fortunâ etiam indigeat, ut se aperiat. Quot strenui fuissent in bello Duces, si in arenam descendissent? Quot bonarum Artium amatores in Lyceis, si iis interfuissent? Quot in regendis Populis Gubernatores, si aliis præfuissent? Utinam & Honor unos Virtute præditos Viros comitaretur! Quæ Virtutum seges Civium in animis non adolesceret? Quid? quod, ea sunt conditione Mortales, ut nisi calcaria subdideris, ad ardua quæq; Capessenda, nunquam sint pares. Rarò Virtus erumpit, ubi illam hoc veluti gloriæ incitamento non promoveas. Jacuisset Horatius, si suus illi defuisset Mecænas. Jacuisset Virgilius, si animos illi non suffecisset Augustus. Jacuisset Tullius, si favor Populi, & Senatus Benevolentia pro Rostris dicentem non excepissent. Quænam Virtus, tam Deo proxima, quàm quæ regale comitatur, ornatq; solium! Hæc enim

verò

verò Virtutes omnes complectatur oportet; quibus remotis, nec Imperium administrare prudenter, nec Subditos feliciter regere valeant Reges: Regem enim à Tyrannide alienum quid facit, nisi Virtus? quam si dempseris, in iniquam Regiminis conditionem desciscat Imperium necesse est. Perge porrò: Quid facit Reges ipsos, nisi Regnum? Regnum, inquam, quod Reges possident, regnare eos docet. Honoris apex, quò evehitur, docet Principem benevolentiam in Subditorum famulatum: docet amorem, munificentiam, Æquitatem, cæteraq; Virtutum insignia, quæ Regnum tuentur, Regem cohonestant. Te testor, EMINENTISSIME PRINCEPS; si eo careres Principatûs solio, quo clariùs rutilas, & Solis instar, nativos undiq; diffundis Virtutum radios; Quis illam tuam Prudentiam in pertractandis Negotiis; Quis invictam illam tui animi moderationem in ipso honoris fastigio: Quis ardorem illum tuum sivè in Religione disseminanda, sivè in Hæresi profligandâ unquam satis suspexisset? Honor tuæ facem adhibuit Virtuti, quò clariores effunderet radios, & meliori collocaretur in lumine. Et dubitamus adhuc profiteri, Honores plurimùm ad Virtutem conferre? Ego quidem sic autumo, ad Nominis Claritudinem magis Honori Virtutem, quàm Virtuti Honorem debere: nec meæ sententiæ quempiam Vestrum refragaturum arbitraverim. Dixi.

SI ad primos Orientis Solis radios ingenitam sibi linguæ duritiem Memnonis illud simulachrum in Serapidis Templo explicuisse commenti sunt Poetæ; citrà mendacii notam, & Fabulæ figmentum non absimile mihi accidisse videtur, cùm ad tuæ præsentiæ, quâ me cohonestas, splendorem, Eminentissime Princeps, duritie Ingenii mei penitùs fugatâ, me ad dicendum impelli sentiam: Eòq; magis, quod pro Virtute mihi sit disputandum, quæ in hac Eruditorum Panegyri primas obtinet, nullis seù opûm, seù Titulorum splendoribus cessura. Ajo, & asseveranter ajo: ad nominis Claritudinem magis Virtutem, quàm honorem conferre; magisque propterea Virtuti honorem, quàm honori Virtutem debere. Et sanè: germanam gloriam ex merito nasci, merito inniti, nullus dubitaverit, Academici; illamq; unam propterea satis esse ad Nominis immortalitatem, omnibus in confesso fuerit. *Ipsa sibi pretium Virtus*, optimè canebat Claudianus. *Probis Probitas est præmium*, consonat pari Ingenii Subtilitate Boetius. Indigeant cætera, ut constent, alieno Famæ Suffragio: Virtus unâ indiget seipsâ, ut gloriosam de se imaginem præferat. Virtute si potiaris, ut cæteris careas, Dives abundè extiteris. Diù vixisse Agricolam, testatur Tacitus, etsi decem lustrorum curriculo vitam illum suam circumscripsisse, pro certo omnibus sit. Causa in promptu est: *Quamquam enim* (profero Taciti Verba) *medio in spatio integræ Ætatis ereptus, quantum ad glo-*

riam, longissimum Ævum peregit; Quippè vera bona, quæ in Virtutibus sita sunt, impleverat. Falsò igitur Honoribus Boni nomen quis tribuat, cùm illud Virtuti uni competat. Quæ cùm ità se habeant: Una erit Virtus, quæ nos gloriosos reddere, immortalitate donare, ac Superis pares facere poterit; Quam qui olim fuerit allequutus, meritò cum Poeta cecinerit

Mecum honor, & laudes,& læti gloria Vultus,
Et decor, & niveis Victoria concolor alis;
Me cinctus lauro perducit ad astra Triumphus:
Casta mihi domus,& celso stant colle penates.
(Syl. Italic.)

Ad hanc enimverò veræ gloriæ Parentem tendat oportet, qui Nominis claritudini, Vitæq; Beatitati studet. Hinc vel ipsi Stoici affirmare non dubitarunt, neminem sine Virtutis præsidio Beatum satis evasurum. Hoc igitur germanum Virtutis præmium dixerim; beatam scilicet, quam ipsa constituit, Vitam: Non enim (ut aliqui opinati sunt) propter semetipsam tantùm expetenda Virtus, sed propter nominis etiam immortalitatem, Vitæq; claritudinem, quæ Virtutem suapté natura comitatur, in deliciis habenda. Honestati igitur animi incumbat oportet quisquis Famæ affectat immortalitatem; quam non opes (ut ponderat Socrates), non divitiæ, non futilis Honorũm apparatus, sed una assequitur Virtus. Hinc meritò Vates Lyricus:

Non possidentem multa vocaveris
Rectè beatum; Rectiùs occupat
Nomen Beati, qui Deorum
Muneribus sapientèr uti,

Du-

Duramq; callet pauperiem pati;
Pejusq; letho flagitium timet:
Non ille pro Caris Amicis,
Aut Patria timidus perire. (Od.9.l.4.)

Atque ut sua in luce melius patescat Veritas; Quis unquam invidit Gloriosi nomen Catoni, ut ut sine ulla honorum pompa, ulloque Splendoris cômitatu diem obierit suum? Quis Pompejo nomen Magni, ut ut phariis in arenis insepultus jacuerit? aliisque immortalitate dignis Heroibus, quos nullus honor, nulla adscititia gloria comitata est? Satis illis fuit Honores meruisse, quod erat Virtutis; non fuisse assequutos, quod Fortunæ, pro nihilo habuere. Intendite mecum Ingenii Vestri aciem, quâ polletis plurimùm, Academici. Dissimiles siquidem Brutis nos Natura progenuit; suprà reliquorum Animantium indolem nos evexit. An quia honoribus, divitiisque Capaces effecerit? Imò potius, quia Virtute: Gloria, quæ homini est propria, nunquam à Virtute sejungitur. Si qua ab Honoribus homini accesserit, & in Brutis quandoque invenitur. Nonnè Serapidi illi Templum extulere, Victimas Ægyptij mactavere? Nonnè Vitulo illi aureo Thus admovere Israelitæ? Scio plerosque hominum Veritati huic introspiciendæ minimè pares inveniri; & more pecudum viventes, uni auro, unis titulis, inanibusque Famæ rumoribus, præ Virtutis amore, trahi. Quid propterea? Honores ne ideò anteponendi erunt Virtuti? Imò Virtus honori. Quandoquidem Magni Viri partes ille adamussim impleverit, qui à Vulgi opinione alienus, honores minimi pendens, uni incum-

bit

bit Virtuti. Honores ad illustrandos homines & ipsos non rarò venire, inficiari non ausim: Cumprimis autem Virtutem ad Nominis immortalitatem comparandam idoneam esse, quàm quæ maximè, aperta voce affirmaverim. Virtute sublata, nullus in homine decor, ut ut honoribus abundet; Sublatis honoribus, summus & in homine decor, ubi Virtutibus fuerit præditus. Ita se se rebus habentibus, quis sanæ mentis homo, præ Virtute honorem appetat; honoremque, ut Nominis obtineat immortalitatem, Virtuti anteponat? Non leve pondus, apertissimæ cæteroqui, Assertioni meæ exhibes, EMINENTISSIME PRINCEPS; quem etsi undique honorum luminibus circumfusum aspicimus; Virtus tamen primum in te locum obtinet. Tibi solium, quo rutilas, Virtus extruxit, composuit, ornavit: quâ sine Magnitudinem tuam & ipse despiceres. Virtus Sacro te decoravit murice, nobilissimaque Neapolitana Infula Coronavit; sine quâ nihil fulgoris Purpura, nihil Infula ornamenti in se haberet. Finem hìc dicendi impono, cùm Assertionis meæ Veritas liquidò constet. Præsertim cùm ex omnium vultu mihi adjudicatam senserim Causam. Dixi.

PAR-

PARTHENOPE

Patrias excitat Musas, ut Em. Præsulis Domini

JOSEPHI CARDINALIS SPINELLI

Laudes Canant.

ODE.

ADeste, magni Progenies Jovis,
Cumææ & Urbis gloria, queis vado
Sebethus illimi Coronam
Format, arundineumque sertum;
Sacerque se se fatidico citans
Cordi refusus Spiritus insidet;
Et per reclinatos recessus
Pausilypi, bifidosque colles,
Paterna Vatûm Examina, Delio
Afflata cantu, quò rapit impetus,
Plaudunt, Napæarum jocoso,
Et Dryadûm famulante cœtu;
Hùc ò, canoro murmure pectinis,
Adeste, Musæ: laurigero comam
Flexu, renidentemque gemmis
Tempus erat cumulare frontem.
Inaugurati Præsulis ictibus
Addenda vestris gesta: frementibus
Nervis, repercussoque buxo,
Emeritum geminate Nomen:
Augusta aviti Stemmata Sanguinis,
Et messa dio germina acinace;
Ostrumque, & Eubæam Thiaram,
Et niveos sine labe mores.

Non

Non ille, quamquam vertice fulgeat
Sidens honorûm, Pindaricos modos
Fastidit, Ascræumque pulsum,
Et patrios, loca amæna, tractus;
Per quos, juventâ sub tenerâ, chelyn
Levi-canoram pectine verberans,
Spectandus incessit, sequaces
Voce trahens modulante truncos.
Vester, Camænæ, Vester olympicas
Lustravit oras, me Duce; Barbiton
Maronianum ponè pulsans
Aoniâ redimitus umbrâ
Spinellus Heros. Scimus ut ACTII
Manes revisens, & Cinerem Sacrum;
Novas sepulchrali è favilla
Hauserit, addideritque flammas,
Afflatus œstro pectora suppare;
Quo rura, & avrei Pausilypi sinus,
Viæque Mergellinæ amænæ
Dulcisono adsiliere motu.
Quid plectra cessant? Plectra sequacibus
Impulsa chordis, & famulantium
Fides Sororum Dædaleas
Poscit, Apollineosque lusus:
Poscit retextam Castalio comam
Honore frondis, Præside Cynthio, &
Plaudente Nympharum Coronâ;
Quotquot eunt vitreas per undas,
Tyrrhena quà se leniter Æquora
Inflata tollunt; quàve tumentius
Curvantur in formam Theatri,
Amne novas referente scenas.
Auditis? almos jam videor choros
Audire Musarum, & per Olympicas

Er-

Errare valles, quas Fluenta,
Populeæ subeunt & umbræ.
Sirenis almæ jam videor Ducis
Audire nomen; Sanguinis ac Decus
Venis remixtum longiori
Per trabeas, titulosque ductu.
Assultat Æther plausibus; adsonat
Jactis in altum Vesvius ignibus:
Herois undæ Purpurati
Grande jubar geminant loquaces.
SPINELLE, Musis ergò age patriis,
Ac obsequenti Parthenopes chely,
Utcumque sint tanto minores
Auspicio, nec ad astra tantum
Pares Dynastam ducere, blandiùs
Assuesce laudari: atque hilari, ut soles,
Vultu Camænarum susurros
Excipe, Pieriosque plausus.

Eminentissimo Principi

D. JOSEPHO CARDINALI SPINELLO

Lyram suam Vates vovet, dicat, ac consecrat.

O D E.

DIvitias Ganges pleno Tibi deferat alveo;
Auriferas Pactolus arenas:
Gemmiferosque Erithræa, sinu prædivite, fluctus;
Et census aucturus avitos
Per sata Sebethi currens argenteus humor,
SPINELLI caput exerit altum
Quà domus, & Cœli tactura palatia surgit

Lau-

Lauri geris effulta trophæis.
Scilicet has ædes Virtus, Honor excitat; ambo
Qui gaudent sibi carpere palmam,
Dum famæ, JOSEPHE, tuæ, patrioq;nitori,
Insudant, quibus affluis.. Ullus
Haud locus hic Sorti. Viden ut Fortuna recisos,
Quam superas, det cernua crines,
Seq;Tibi!Cornu quamquam tibi sparserit amplo,
Non olli, Tibi munera debes;
Quæ gremio cumulata tuo, te, Sideris instar,
Euboicas dant ire per oras.
Ut surgis, SPINELLE! seges te scilicet omnis
Laudis erit minor, auspicioque
Nominis inferior: Fortunæ dona minora,
Et tanto inferiora Dynaste.
Majores Virtus cumulos sibi poscit honorùm,
Et gazas, majoraque serta.
Te latii celebrant fines; Tibi Belgica tellus
Sincero de corde favillas
Sacrat: amans teneris te circumplectitur ulnis
Parthenope, patrioque reponit
In solio. Tot dona inter, fascesque superbos,
Et Gentis decora inclyta avitæ,
Undè micas,altumque caput super astra suburges,
Nestoreos victurus in annos,
Quæ supplex sistam Tibi munera?Carmina sistam
Gazarum præitura nitores;
Ascræumque sonum, dulces & Apollinis artes,
Permessique virentia serta.
His gaudes donis præ fulvi luce metalli,
Præ pompis, Titulisque Tuorum.
Hæc damus;& quamvis sint tenuia,supplice voto,
Sistimus; innexamque Capillis
Jussimus aoniam circum interserpere laurum,

Quæ

Quæ patriis effloruit aruis.
Ergò age, quos defert primos tibi Musa labores
Pacato, precor, excipe vultu.
Hæc laurus Te digna manet. Spectabilis ibis
Musarum Comitatus acervo. (trà,
Nempè,nequit quæ se ultrà attollere, tollitur ul-
Vatùm uno modulamine Virtus.

Eminentissimo Principi

D. JOSEPHO CARDINALI SPINELLO ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

P A N E G Y R I S.

(cunis
SPes, & Amor Patriæ,JOSEPH, quem Gloria
Exceptum super astra tulit; titulisq; decorum
Fama per Europæ dedit inclarescere fines:
O'atavis ingens,Virtute ingentior, omnis (pus,
Dũ Tibi plaudit humus,dũ plausu assultat Olym-
Nulli concessos in te miratus honores;
Si quid Musa valet, si quid meus audet Apollo,
Partheniam in laudes ne dedignare Camænam
Ire tuas, animiq; chely percurrere dotes.
SPINELLA de Stirpe Viris mavortia adire
Castra, acies irrumpere, & hostica perdere ferro
Agmina Sors dederit,lauriq; virentibus umbris
Victrices redimire comas;Tibi,Maxime Princeps,
Astra novo fulgore nitent.Non ense,sed hostes
Mente domas,palmasq;metis sine sanguine Victor.
Uranie æthereis tibi texere floribus orbem
Crinibus addendum primis celeravit ab annis,
Undè vires lauro meliori tempora cinctus.
Nosse juvat,divina Erebo vinxère subacto

JO-

JOSEPHI quot serta caput:quot nescia carpi
Germina per meritos umbram explicuêreCapillos,
Germinibus cumulanda novis, & mole Triumphi
Jam jam convexos Cœli tactura recessus.
Ille benè edomitos in vincula traxerit hostes,
Qui Victor stetit usq;Sui;motusq; rebelles
Refrænans animi, & cupidæ mala semina mentis
Evellens,de se retulit spolia inclyta pompæ.
Pullulat, & sensim mortali in pectore crescit
Atra phalanx vitiorũ:hanc prudens presseris ipsis
In Cunis,certamq;subortæ extruxeris urnam.
Ni facias,velut omne nemus neglecta perurit
Flamma,Dionæis succrescent Corda favillis
Nulla mora,& vitiis animus succumbet iniquis.
Hanc ego suspiciam,quam de te demetis,unam,
O' ingens SPINELLE, comisq;nitentibus aptas
Sidereis laurum vernantem flexibus. Illa
Tota tua est,animoq;tuo,quo parta,virescit
Fronde novâ, martis reliquas præitura Corollas,
Undè triumphalem dant patria limina pompam.
Quis mihi nascentis superatos Herculis angues
Invictâ memoret dextrâ?Cunasq:sub ipsas
De tenero attritos non unos ungue Leones?
Laude micat JOSEPH potiore:Ille altera vindex
Monstra domat,stygiásq;Puer detrudit in umbras.
Arrisit tunc igne polus;fremuêré cavernæ
Tartareæ,arrectis fremuit trux Cerberus hydris.
Aspice ut ætatem prævertens moribus, ultrà
Se ferri visus, cœlestem & ducere Vitam!
In Puero Puerile nihil. Stant omnia menti
Consona. Qui fluxit candor lustralibus undis,
Illum sajit usq;sinu; nec perdit eundo,
Quo semel imbutus, niveum,sua dona,colorem.
Dicite vos,vidistis enim, & memorare potestis,

Si-

Sidereæ Charites; Ut primo in flore juventæ
Mentis in agnatum vires intenderit axem,
Haud ſapiens terrena! Ut tela,igneſq;retundens
Cypridis,æthereæ reſerarit corda ſagittæ,
Igne calens meliore! Jocos, & ludicra ſpernit
Gaudia.Nil choreæ,ſceniſq;Theatra recluſis,
Illexére animum patriæ nil ſtemmata Gentis.
Templa petit,precibuſq:ſolo declivis,Olympum
Pulſat,& arcanas rapidâ ſpe præcipit arces;
Totus in aſtra ruens,totuſq;in imagine Cœli,
Cui ſe, Corda ſacrat.Procul ò, procul ite fugaces
Deliciæ,& multo gazæ ſudore paratæ:
Sidera amem, Cœlumq;libentius. O'ubi colles
Romulei! O' ubi divinis bacchata Palæſtris
Culmina,Loyolæ florentia Culmina ſignis,
Clara ubi per cultas pubes ſe ſe excolit artes!
Dixit, & exutus pompis,mora nulla, Palæſtræ
Nomina dat latiæ,ſociiſq;affixus inhæret;
Deſpicienſq;ſolum, tantùm Immortalia verſat.
Obſtupuit tùc Tibris,aquaſq;in ſe ipſe reſorbens,
Hæſit in obtutu tanti, quem cernit, Alumni;
Amplexuq;fovens, & mille per oſcula ſtringens,
Macte novâ Virtute,Puer.Proh! quantus olympo
Aſſurgis: Dio proh! quantus adureris Æſtu.
Tam benè qui Virtutis iter calcaverit, Ullum
Haud mihi noſſe rear. Claros vix inter Alumnos
Exciperis,cunctoſq;præis,quantùm Ætheris ignes
Cynthius,aut humiles excelſa Ceraunia valles.
Spero equidē(ſpes certa mihi),quē miror Alumnū
Ipſa modò, hunc olim dent aſpexiſſe Parentem
Fata coronatum terno diademate crines.
Sic ait: & feſſo intumuit ter gurgitis orbe.
Aſſenſêre cavo ſepteni vertice colles;
Cultus & ex illo Terrarum geſtiit orbis,
Ven-

Venturum antevolans tempus, ſoleſq; morantes.
Quid lateat tacitis Virtus ſpectabilis umbris?
Luce novâ pateat, quam dudum exhorruit; & ſe
Ad meritos, invita licet, componat honores.
Fugeris, inſequitur fugientem Gloria: quantùmq;
Eſt Virtus nil laudis amans, Virtutis amator
Tantùm exiſtit honor. Tua nunc ſuccũbat honori
Par, JOSEPH, Virtus, latioq; ſuperbiat Oſtro.
Ac veluti, eoõ cùm primùm exurgit ab amne
Cynthius, ille novos ex igne aſcendit in ignes;
Et gradus alterius lux eſt, Aurora diei. (ſenſim
Haud aliter novus auctus honos, novâ gloria
Aucta tibi eſt, apicem mox aſcenſura ſupremum,
Inclyta SPINELLI ſoboles. Te vidit euntem
Belgica Terra Ducem, Solii pro jure latini
Laudis amatorem diæ, juſtiq; tenacem
Conſilii. Qualem te tanto in munère nuper
Præſtiteris, quantaque hoſtes deviceris arte,
Non telis pugnans, ſed mente, ſcit Orbis, olympus;
Ipſa ſcit optatis per te cumulata trophæis
Relligio, & currens Tibris majore fluento,
Chriſtiadûm cunctas ſe porrecturus in oras.
Victor io reboavit ovans ter Scaldis, ovanti
Victor io ter Sena vado: Mons reddidit Io,
Et prata, & valles repetitis ictibus Io.
Audiit hos gemino diffuſos orbe triumphos,
Quos metit, & Fidei accumulat Spinellus avitæ
Tibris, ab auſonio ſpeculatus gurgitis alveo.
Et ſecum reputans tantæ miracula mentis,
Haud paſſus caruiſſe diù, quem miſit, Alumno,
Rurſus eum latias juſſit decedere in oras,
Addictoſq; Viros Cœlo, Mitrâque decoros
Ut regat auſpiciis, & certa lege gubernet.
O' quis io actutùm Templis nitor! O' quis in Aris
Cul-

Cultus! Oliviferis quæ florent germina ramis
Clauſtra per,& ſacras (Tua,Joſeph,gloria)valvas!
Qui tibi túc animus,quæ mens,pulcherrimaSiren,
Cùm procul à patriis JOSEPHUM diſtinet oris
Albula? Gnate,veni(tacito ſermone fereba s)
Gnate,veni;quid lentus abes?Quæ tanta morandi
Cauſa? mihi rapuit quid te Tibris? Adde Parenti
Te modò,Gnate,tuę. patulis te Veſvius antris,
Te riguis Sebethus aquis, te patria pubes,
Pauſylipiq;Sinus, Prochyteq;Ægleq;repoſcunt.
Hoc equidē occasūFRANCISCI,ictuſque dolorū
Solabar,fatis his fata adverſa rependens.

Non tulit has Tibris voces Sirenis, & ultrò
JOSEPHO occurrens,ne me,ne deſere,dixit,
Urbis amor,Columenque.Manet te gloria, teq;
Pompa Quirinales apices imitata manebit.

Mente ſagax ſenſit geminas has alma querelas
Relligio,Euboicas quæ ſe referebat in oras
Illo fortè die.Quid ſpargitis aëra luctu,
O'mihi præ reliquis coniuncti fœdere, Siren,
Albula?Quid vario ſcinduntur pectora motu?
Veſter erit JOSEPHUS;erit tuus,inclyta Siren;
Tybri, tuus. geminis par ille, unuſque duobus.
Parthenope optatum teneat,quem poſcit,Alumnū,
Ut beet Euboicam,fatis felicibus, urbem;
Et populos regat,& Sirenis Vota ſecundet.
Mox erit,ut latiis idem dominetur in oris (orbis
Tergemino orbe comas circumdatus;Huic det &
Oſcula cultus,humiq; jacens veneratus adoret.

Nec mora:Romuleo Joſeph ſpectandus in oſtro
Chalcidicos tetigit fines. Comitantur euntem
Alma Fides,Pax alma,Elpiſq;,Chariſq;pudicos
Vinctæ oculos,ſuperiſq;ornatæ inſignibus omnes,
Omnes Sidereis redimitæ tempora ſertis.

Exi-

Exiliunt patriis Nymphæ Craterides undis,
Insternuntq; solum foliis, Cytharæq; susurro
Principis adventum Cumæa in Regna salutant.
Assultant auræ procul,& concentibus æther
Responsat, festiq; ignes micuêre per Urbem.
Omnes lætitiæ plausus fovet, occupat omnes
Puro fonte scatens animi incorrupta voluptas.
Ac veluti tenebris si quando Aurora fugatis,
Quæ latè tenuere polum, sua pandit Olympo
Ora,triumphalemq;die redeunte, Quadrigam;
Rident tunc campis sata culta, ac altera Terris
Apparet facies, rerumq;venustior ordo.
Haud aliter Siren reddi sibi visa,repulsis
Adventu,SPINELLE,tuo, modò funeris umbris,
Quas dedit euboicum nuper Mors ire per axem,
Pignatelliadæ comitata minacior urnam.
Incubuit nimis illa suo, quo pressa,dolori,
Mæsta comas,discincta sinus,laniata Capillos,
Cumæos lustrans, leniri nescia, fines.
Omnia at in plausus abiêre, in serta Cupressus
Laurea, in auricomas pallentia Funera Cunas.
Nunc quibus auspiciis, Princeps Spinelle,regendã
Ingrederis Cumæam Urbẽ(mea Carmina si quid
Nosse valent,Vatemq; suus nec fallit Apollo)
Dicam equidem: nostris responsent Sidera votis.
Aurea sub tanto decurrent Præsule lustra;
Et Populos hilarabit in Pax alma, fugavit
Quam tristi Bellona manu, terroribus oras
Euboicas,Istri cumulans & sanguine ripas.
Omne nefas fugiet,scelus omne; emissa Cavernis
Fœda lues stygiis nunquam hos temerare recessus
Ausit. Sidereis redimita nitoribus Urbem
Relligio Euboicam gremio complexa fovebit.
Et postquam intulerit patrijs longa Otia terris,

Et benè Chalcidicas Joseph lustraverit oras;
Romulei colles illum, fluctuq; sequaci
Excipiet Tibris, serosq; extendet in annos
(Parce minis Libitina) Urbisq; Orbisq; Parentem
Tergemino ornatum serto, solioq; ferentem
Jura Quirinali. Votis polus annuat: & me
Eventura probet Phæbi Cortina docentem.

Ad Eminentissimum Dominum

JOSEPHUM CARDINALEM SPINELLI.

Alluditur ad tres ejus Gentilitias Stellas.

EPIGRAMMA.

SPinelli in patrio fulgent tres stemmate Stellæ.
Principis in laudes non satis una foret?
An quia, tot radiis cöeuntibus axis in unum,
Non hunc Stella; suo Phæbus at igne notet?
Auguror: ut Titan latia radiabit in aula,
Tergemino meritas obsitus orbe comas.

Eminentissimus Dominus

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLUS NEAPOLITANUS

Neapolis Præsul inauguratur.

EPIGRAMMA.

DUm te Spinelli, Siren, das lege regendam;
Præsulis accumulas gemmea serta Comis.
Tam benè Parthenopen dum Tu, Spinelle, gubernas;
Per te par olli surgit Honoris apex.
Alter ab alterius se lumine ditat: uterque,
Sorte pari, census datq; legitque novos.
Auget Mater opes Gnato, Gnatusque Parenti.
Vir Patriâ clarus, Patria clara Viro!

Ad

Ad Eundem Eminentissimum Dominum.

PROGRAMMA

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLIUS,

Anagramma literale purissimum

IS NILI SIDUS, AC NEAPOLIS PRÆSUL.

EPIGRAMMA.

HUnc olim excepêre augusta Sedilia *Nili*
  Fulgentem, *Sidus* quale sub axe micat.
Præsul at *Is* faustâ stat sorte *Neapolis*: undè
  Altera pompa Viro est, additus alter Honos.
Vaticinor: patriis melius fulgebit in oris;
  Par erit & Phæbo, qui modò Sidus erat.

Eminentissimus

D. JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLI

A' Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTE XII.

Sacra Purpura decoratur.

ODE.

QUid diù Virtus latet in recessu?
  Pandat agnatos, quibus ardet, ignes:

 Æmu-

Æmulum Phæbo, potiore flammâ,
Exerat Ostrum.

Debito languet viduata cultu,
Quam per augustos gradientem honores
Fama circumstans colat, obsequenti
Cernua plausu.

Indiga ut lucis minimùm sit illa
Exteræ, signet propriâq; se se
Luce; nativos radios sed auget
Fulgor Honoris.

Umbra, quam Corpus fugit, insequenti
Lucidum gressu notat illa Corpus:
It gradu Virtus parili, ambientis
Laudis amica.

Quid moras ergò teris otioso
Fulgurans ostro, Chlamys? I per artus
Præsulis, longo sinuata flexu, &
Cinge merentem.

I, Honor, proles generosa Divûm,
Meta votorum, fugientis Ævi
Pulchrior merces, nimiiq; lucrum
Dulce laboris:

I triumphali decoratus orbe,
Et manu tendens meritas Corollas;
Necte SPINELLI caput, & latino
Murice Vestem,

Lucis aucturi pretium, & rubori
Alterum tanto jubar addituri.
Quæ venit merces merito, lucratur
Dum dat, Honorem.

Audiit: Summoq; celer volatu,
Quà Palatinæ referantur arces,
Adstitit; sparsumq; humeris negantû
Prætulit aptans

Ro-

Romulum vellus ; roſeumq; florùm
Colligens nimbum, Capiti galerum
Format, & vultum rubicundiore
Luce colorat.

Ulla non preſſit chlamys altiorem
Verticem. flagrans gemino nitore,
Ornat, ornatur: velut inſerenda
Gemma Monili.

Tunc polus, ridens meliore Phæbo;
Lætius fudit melos, & canora
Leuè reſponſant avium Quirino ex-
-amina Cœlo.

Tibris effuſo docilis fluento
Adcinit plaudens; ſonuêre lymphæ:
Edidit gratùm, crepitante ſaxo,
Montis Imago.

Mente præſagâ relegens futurum
Roma, ſupremum ſpeculata Patrem,
Proua Spinellum veneratur, & ſe
Devovet olli.

Fata quid ceſſant? properate Lunæ:
I rotas, Titan, breviore curſu im-
-pelle; Joſephum ſolio inſidentem
Redde Latino.

Illum hydaſpæis Nabathæa donis
Regna, gemmanti procul Indus urnâ,
Et ſolo ſupplex lacrymis uterq;
Orbis adoret.

Eminentissimi Domini

JOSEPHI CARDINALIS SPINELLI

Præcipuas Virtutes percurrit Poeta.

O D E.

QUò, Phæbe, gressum dirigis? Hùc tuos
Intende nervos, & cytharæ fides:
Augusta te Virtus reposcit
Præsulis, aöniumq; cantum.
Insitato Carminis alite
Dicendus Heros, cui meritas Honor
Comas, triumphalemq; frontem
Laurigeris decoravit umbris;
Et lapsa ab astris Uranie sacræ
Cinxit merentem Cyclade purpuræ;
Sinumq; conspersit favillis
Æthereos inhiantem honores.
Spinelle, quo te nomine prædicem?
Quo mentis œstro? Te puerilibus
Fovêre nascentem susurris,
Et niveis Charites ligustris.
Mox Virginali te pudor ambitu,
Vittâq; ocellos Relligio premens,
Totum coronavêre, & almo
Romulidûm faciles senatu ad-
-dixère germanum; & Violaria
Per membra, & albo lilia culmine, &
Rubram Rosetorum procellam
In famulos abiisse nimbos
Jussêre. Leni tunc refluens vado,
Crescenti in amplam spem Generis Tibi
Sebethus arrisisse, Nymphis
Cum sociis, & ad astra fluctus

Tu-

Tuliſſe fertur, ſic crepitantibus
Per antra lymphis: Ite per oppida
Cumæa, Sylveſtres Napeæ;
Et reſono date plectra pulſu.
JOSEPH avito ſanguine clarior,
Altricis & laus ſumma Neapolis,
In ſerta, victriceſq; lauros
Creſcit io; domiturus Orcum;
Seù vincla nectat fortior Hæreſi;
Seù criminoſæ bella Tyrannidi
Committat, amentique Amori;
Igne calens meliore pectus.
Illo per oras præſide patrias
Excurrat alter, ſed magè purior,
Morumq; Vitæq;& pudoris
Ingenui pretioſus amnis.
Ille & Minervæ cultus in artibus,
Pompam Lyceis reſtituet, decus
Muſiſq; & Eubææ Palæſtræ
In reliquos cumulabit annos.
Maronis hinc ſe laurea Olympicis
Extendat oris; ſeq; per inſitas
Fibraſq; radiceſq; tollat
Aſtra petens, viridante flexu
Vinctura Vatûm tempora, quos alit
Cumææ Sir[illegible] Alteros
Cernemus(haud longùm) latinis
Seù modulis, fide ſivè Hetruſcà
Olim ſonantes plenius, *ACTIOS* (a)

B 4 *TAS-*

(a) *Enumerantur hic aliquot inſigniores Neapolitanæ Urbis Vates; nempè Actius Sincerus Sannazarius, Torquatus Taſſus, Jo: Baptiſta Marinus, Nicolaus Parthenius Giannettaſius, & Bernardinus Rota.*

TASSOS, MARINOS, PARTHENIOS, ROTAS;
Sirenis & quotquot feraci
In gremio viruêre Vates.

Eminentissimus Dominus

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLI

In Romana Curia Antistitûm, & Religiosarum Familiarum à Consiliis.

Laudatur ejus Prudentia, & Fortitudo in pertractandis Negotiis ad Animarum salutem, & bonum Universitatum regimen spectantibus.

O D E.

SUblimioris Culmina Gloriæ
Tentare fas est: non Heliconio
Addam fluento, non camænis
Orsa, poli celebranda plausu:
Sirenis ingens te decus, & jubar,
JOSEPHE, pandam; quo duce, Romulæ
Crevêre leges, ac avitum
Dia apicem super astra vexit
Fides, triumpho non aliàs dato:
Frontemq; Olympi plausibus explicans,
Cantus, susurro dulciori,
Ad latias iteravit undas;
Septemq; colles, quos procul edidit
Tibris canores, grataq; gaudia
Latè sub auras reddidêre
Sidereo sociata pulsu.

He-

Heröe tanto Vindice, ab æthere
Astræa Terras lapsa per Italas
Incessit, & longè fugatis
Agminibus Vitiorum, in oris
Favente Cœlo, lumina Romulis
Risêre. Rectum Christiadûm Ordinem
Senatus expertus, cohorsq;
Romuleo benè fida juri,
Inusitatis lætitiæ modis
Afflata, JOSEPHO Duce, gestiit:
Ritusq; callentem latinos
Alta super tulit astra mentem.
Dicata Cœlo pectora Præsule
Flectente, Claustris Pax favet, Italos
Pertæsa fines, quos flagello
Quassat agens graviore Mavors
Jamnunc; & hastas, & pyrias faces
Spargens per Urbes, Stragibus occupat
Vallesq;, collesq;, & cruore
Inficit Oceani fluenta.
Ille & vaganti frœna licentiæ,
Modumq; duris seditionibus
Injecit, amovitq; luxus,
Et latias renovavit artes,
Per quas Tonantis gloria, Cœlitûm
Cultusq;, & Aris floruit integer
Honor, verecundusq; sacris
Ordinibus, Populisq; candor.
Hìc rumpe cantum, Cynthie; Quis decus
Æquabit, Heros, Carminibus tuum?
Num Solis inconsultus atro
Lumina reddiderim lapillo?

Al merito impareggiabile dell' Eminentissimo Signor CARDINALE

SPINELLI

Arcivescovo di Napoli.

SONETTO.

OVe, Fama, ne vai? quì ferma l' ale,
Quì dà fiato alla tromba, e quì da fuori
Del grã SPINELLI il nome alto immortale,
Che il miglior ha delle Virtù migliori.
Egli de' primi Eroi colse gli Onori
Colla mente, col Cuor; ed egli è tale,
Che di Zelo nel sen nutrendo ardori,
Nel consiglio sol' hà se stesso uguale.
Dì pur, come dal Ciel frà mille eletto,
Fin da' verdi anni al Ciel spiegando il Cuore,
Nobiltade, e Virtù congiunse in petto.
Tanto canti la Fama, e pur, Signore,
Scarsa la lode fia: che a tal soggetto
Della Fama ogni lode è assai minore.

In idem Argumentum

METAPHRASIS.

QUò quò, Fama? tuis hìc meta, & terminus alis
Centenis juvat hìc concinuisse Tubis.
Exere Spinellum, latii decus, & jubar ostri,
Virtutis melius qui melioris habet.
Ille ille Heroūm primos decerpsit honores,
Seù mentis recolas, seù magè Cordis opus.
In-

Ingenuo dias servans in pectore flammas,
Consiliis alium non habet ille parem.
Exere, ut electus tot Numine millibus unus,
Huic Uni reliquos voverit usque dies.
Virtuti nec Honor, Virtus nec cessit honori;
Virtutem, sociâ Nobilitate, dedit. (par.
Hæc resonis det Fama tubis; laus hæc tamen im-
Te Famæ extiterit laus, ut ut ampla, minor.

PARTHENOPES GRATULATIO

Quòd Eminentissimus Dominus

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLUS

Archiepiscopali Neapolitana Infula
sit insiguitus.

E L E G I A.

E Venêre: suæ Siren jam reddita pompæ;
Addita Sireni jam sua pompa redit.
Jamdudum gemitus effudi mæsta; dolore
Jamdudum nostræ diriguere genæ.
Ipsa videbar iners, posito diademate, lugens
Ad luctum patrias sollicitare Deas.
Ah! quoties guttis Sebethi tristibus undæ;
Fletibus ah! quoties intumuere meis.
Sivè diem referes, seù claudas, Cynthie, mæror
Sole oriente sinum, sole abeunte, premit.
Inducias nec habet, crebros mora duplicat ictus;
Alterius gradus est, qui fuit antè, dolor.
Talis eram, qualem se se dat Nupta videndam,
Cui Libitina Virum sustulit antè diem.

'Aut qualis Genitrix,cui sors,sua gaudia,Gnatum
Non expectato condidit atra rogo.
Nulla quies,nullus fessos sopor irrigat artus:
Errat inornatis gratia nulla comis.
Sola,premens alto redivivum pectore vulnus,
Urbe procul, tacitas itq; reditq;vias.
Haud aliter, curis & cura, dolorq; dolore
In me per longas invaluêre moras.
Vulneribus patuêre novis mea Vulnera;membris
Haud motus, nisi quē mors regat,ullus inest.
Sed suus & fronti rediit color,& sua menti
Lumina;stat cordi certus, ut antè, vigor.
Altera sum:Gnatumq;meum,mea gaudia,sensi;
Gaudia quæ vultu parturit ille suo.
Non secus ac Phæbo sata discedente rigescunt;
Nobilius,Phæbo sed redeunte, vigent.
Altera sum:Sponsumq;meum, cum Pignore, sensi;
Per quem pars animo est altera juncta meo.
Non secus ac, medius si quando intercipit orbis
Phæbæos radios,Cynthia luce caret:
Objice at amoto, rursus sibi lucis honorem
Addit,& instaurat,quæ periêre,faces.
O' quæ Chalcidicis veniunt Solatia terris!
Quæ veniunt cordi Nuncia fausta meo!
Hæc fuerant, vitreâ nuper JANUARIUS urnâ,
Quæ mihi, præsago Sanguine, signa dedit.
Te,JOSEPH,cruor ille, suis Te saltibus, & me
Signabat:Gnati,Matris & Omen erat.
Te patrio in Solio fulgentem, ostroq; decorum;
Meq;tuâ erectam sorte notabat ovans.
Tunc equidē,plausu reboant dū Compita, plausu
Extrà me ferri præcoce, visa mihi.
Visa mihi; rapto nam nuper Præsule, tanto
Ostensus fato Tu mihi Præsul eras.

Gau-

Gaudia quæ mediis naſcuntur luctibus ! O'quæ
Exoritur medio è funere clara dies !
Pænitet impenſi gemitûs, quo nuper ademptum
Pignatelliaden ſum comitata Patrem.
Alter io Præſul mihi ſurgit,& altera ſurgunt,
Queis beor,Euboici ſtemmata avita Ducis.
Terna novum mihi ſplendorē dant aſtra,Sepulcri
Aſtra umbras radiis vincere docta ſuis.
Ergò fas luctum plauſu modò vertere, Cunis
Vertere fas tumulum,trux Libitina, tuum.
Quid gremio concepta meo mea gaudia claudã?
Publica ſunt;totâ plauſus in Urbe fremat.
Exere(quid cunctaris adhuc?)Tua tela,ſagittaſq;
Exere ſidereas,ò Amor alme,faces.
Pompa tua eſt,patriis quæ circumducitur oris;
Non alia hanc poterat nobilitare manus.
Stelliferis impone rotis , Urbiſq; per oras
Joſephum, populo duc famulante,Ducem.
Joſephum Euboici reſponſent littora ponti ;
Joſephum fluctu reddat ovante Thetis.
Veſvius ignitis mea gaudia reddat ab antris ;
Altaq; vicino murmuret Ægla jugo.
Relligio antè alios, oculos obvincta pudicos,
Plaudat:de tanto facta ſuperba Viro: (phas;
Chalcidicaſq; citans ad littora olympica Nym-
Inſtituat feſtos Officioſa jocos .
Et tibi det, Joſeph , ſpiſſis mille oſcula labris,
Jam ſibi Tarpejum viſa referre decus.
Quod ſupereſt:longos ſervent hunc Fata per annos,
Per quem certa mihi,ſtet mihi ſera quies.

Emi-

Eminentissimus Dominus

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLI

Neapolim ingreditur.

Neapolis Felicitas sub tanti Principis auspiciis.

O D E.

QUalis Cubili Phosphorus aureo,
Umbris remotis, fulgurat; & diem
Orbi renascentem reducit:
Cui resono famulatur altâ
Avis susurro spissa sub arbuto.
Responsat æther, & trepidæ faces;
Collesq; Fontesq;, & quieto
Murmurat Oceanus Fluento:
Qualisve ridet post pluvium jovem
Titan, eöo vectus in Essedo;
Ignesq; spargens puriores,
Luce hilarat potiore Terras,
Visus per oras Chalcidicas, Sacro
Amictus ostro, Præsul; amabili
Ex ore pandens purpuratum
Post lacrymas jubar affluentes,
Queis te sepulcro condidimus, decus
Francisce nostræ Parthenopes, truci
Abrepte fato, qui Tuorum
Nuper eras Columenq;, & ingens
Tutela. Nostris invida gaudiis
Lex dura lethi, sic laceras manu
M..lèominatâ longiori
Stamina tàm pretiosa flexu

Con-

Contexta? sed fas vertere lumine
Doloris umbras cedere nescias
Antèhac, renidenti quod, HEROS,
Ore jacis, roseoq; vultu:
Fas & madentes flebilibus genas
Diù procellis tergere. Nubila,
Jubente Spinello, Sepulcri,
In nitidas abiere Cunas.
Spectatis? an me decipit insolens
Imago pompæ? In Præsule Præsulem
Novo recognosco priorem.
Par species in utroq; formæ;
Oris venustas, Sanguinis ac honos,
Rectiq; mores, Candor, & æquitas,
Mentisq; acumen, nec dolosæ
Fraudis amans, scelerisq; pectus.
Ut lenè fulget blandior aspici!
Ceù rariori cùm nebulâ jubar
Exponit affusum tuenti
Cynthius. Ut rubicundiores
Dat ire vultum per niveum notas!
Ceù liliato cùm Rosa gramine,
Diffundit immixtum ruborem,
Et duplicat sibi frondis ostrum.
Seù Verba, Hymetti perlita nectare,
Devolvit, alter cernitur Hercules,
Qui corda nexis duriora
Implicet, alliciens, Catenis.
In dia verbis Tela cadentibus,
Seù Rostra scandens flagitium increpat;
Ceù quondam Achilles, quâ recludit,
Vulneris est reparator, hastâ.
Josepho, ab oris Chalcidicis, Duce,
Scelus facessat; quas foveat Fides

Ful-

Fulgentiori cincta flexu, &
Tergeminis radiata Stellis:
Facessat & Fraus, insatiabilis
Ardorq; habendi, Cyprius & Puer
Cum Matre; queis Orbis dolosâ
Vindicibus flagrat in favillâ.
Ast almus, ignes sideribus bibens,
Amor pharetram cum jaculis ferat;
Et corda pertentet sagittis,
Et superâ face pectus urat.
Lætare, Siren; Tuq; perennibus,
Sebethe, Lymphis, Tibridis Æmule,
Percurre. Tanto sub Magistro,
Altera io mihi Roma surgit.
Tarpeja flammis Culmina Vesvius
Jamnunc colorat, lætitiæ sciens;
Festosq; lusus, & choreas
Instituit, properantis ævi
Præsagus. Urbem Tu modò patriam
Intaminatis imbue gaudiis,
Auctuie quondam, cùm latino
Fulseris in solio per Orbem,
Josephe, cultum jura ferens. Tibi
Tunc saxa tollam quà sata largiùs
Sebethus irrorat fluento,
Mygdonijs operosa signis.

Eminentissimus Dominus

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLI

A Pueritia divinis rebus se mancipat.

O D E.

QUem tu, Relligio, semel
Crescentem niveo syrmate texeris;

Et

Et purâ face pectora
Lustraris supero credita cultui ;
Illum non trabeæ, & favor
Fortunæ , & patriæ stirpis Imagines,
Antiquum & Generis jubar
Clarabit Dominum : non ratis aurea
Oris ducet Olympicis
Cessantem ; neq; res ludicra cypriis
Obvinctum foliis comas ,
Quòd Cor fictitiis imbuerit jocis ,
Scenis addet ovantibus:
Sed quæ flamma polo purior emicat,
Arcanæ & superûm faces ,
Libato rapient Numine compotem .
Testis , Parthenopes decus ,
Et Præsul latiæ gloria Purpuræ .
Annis à puerilibus
Se rerum Domino credidit integrum
Pompæ futilis inscius ,
Nec terrena sonans . Prima Puertiæ
Fortis Vincula nexuit ,
Laxavitq;animum,jam tum habilis,Deo;
Calcans exhibitas opes ,
Calcans illecebras, delicias,jocos,
Et quidquid bona sparserat
Fortunæ in gremium Nominis, & Rei :
Illum Numinis allicit ,
Templorumq;decus. Prodigus in Suos,
In se parcus, & abstinens ;
Ceù qui non sibi , sed viveret Alteri :
Loyolæ in penetralia
Inter Romuleos se Juvenes dedit ,
Curis Palladiis vacans ,
Illibato animi sed magè cultui .

Mi-

Mirum quod fuit omnibus,
    Quicumq; hos repetunt per teneram lares
Ætatem, Artibus & bonis
    Insudant ; facili ut jura negotio
Implens ille domestica ,
    Exemplar Sociis esset, & Exteris .
O' divina Charis, polo
    Quæ fulges superis culta sodalibus ;
Terrenis quoq; mentibus
    Donatura Dei, si libeat, jubar !
Totum muneris est Tui ,
    Quòd sacris rutilans Præsul honoribus
Almam Parthenopen regat :
    Quòd tanto Populi sub Duce stent, Tuum est.

AD CALLIOPEN

Ut Eminentissimum Dominum

JOSEPHUM CARDINALEM SPINELLI

Pro merito Celebret.

ODE.

DEscende Pindi, Calliope, jugo ;
Tactura dulci pollice Barbiton,
    Fidesq; vocalesq; chordas ,
        Et resonis agitanda nervis ,
Jubente Phæbo, fila; sequacibus
Impulsa truncis ictibus Orphei ;
    Cùm rura, collesq; , & supinæ
        Ad numerum adsiliere valles.
Insigniorem Principis Infulam ,

Ostrumq;

Oſtrumq; , & aeres Ingenii faces,
Rectumq; mentis, cultioreſq;
In tenero quoq; Corde mores :
Intaminati pectoris impetum
Gazis negantem vel minimùm capi ;
Vitamq; Cœlo dedicatam ,
Officii memores, Canamus .
Quæ prima tanto laus veniat Viro ?
Quæ tanta laurus tempora vinciat ?
Tot geſta, tot pal mis Trophæa
Sidereis redimita poſcunt
Non una laudis munera , laureæ
Non una frondis Vincula . Honoribus
Quæ meta ? Metam Heros Honorùm
Tranſiliit ; decus & ſupremum ,
Suprema quæ laus alterius foret;
Joſephi iter . Seù Gentibus imperet ,
Seù Vaticanæ jura ſedi
Afferat ; & Fidei nitorem ;
Ornandus Heros multiplici Caput
Benè ominatæ frondis adorea :
Seù Civium ſedans tumultus
Sollicitæ nova Pacis Urbi ,
Rixis remotis , intulit Otia .
Hùc ò , canoro pectine, Cynthie,
Spinelli opimos dic Triumphos ,
Vindicis & decora ampla dextræ ;
Cujus ſub ictu concidit Hæreſis ,
Et fœderatæ cum Duce Tartaro
Averni Erynnes ; bella diæ
Nil veritæ Fidei movere .
Tibris latino quà Caput alveo
Deponit, ingens occupet æthera
Moles, Theatralemq; pompam

Ex-

Explicet. In medio coruſcet
Spinellus Heros, cui gladium Fides
Benè auſpicatum deferat, & Charis
Parmamq; loricæq; tegmen,
Et ſuperis Chlamydem favillis.
At ſubtus, Orci Bellua centiceps,
Subdi Catenis jam patiens, fremat;
Plauſuſq; Spinelliq; Honores
Tartareis cumulet ruinis.

Eminentiſſimus Dominus

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLI

Bruxellenſi Pontificia Legatione fungitur.

Laudatur Ejus Prudentia in configenda Hæreſi JANSENIANA.

O D E.

QUis me canentem propulit impetus,
Alpina præter Culmina, Delii?
Semota Bruxellarum in arua
Ducor, hyperboreas Brabanti
Viſurus oras. Ludimur? An lacus,
Quâ Scaldis undas incitat, Italis
Muſis inacceſſos, & agros,
Chalcidica procul Urbe, Phæbo
Trahente, cogor viſere Belgicos?
Sequamur æſtrum mentis, Apollinis
Sequamur omen. Serta ſurgunt
Præſulis hìc obitura crines:
Trophæa ſurgunt nobilioribus

Onu-

Onusta palmis, quas duce messuit
Heros Olympo purpuratus,
Tartarei domitor Tyranni.
Quæ pompa! Honorûm quæ patet area!
Qui vernat almâ Campus adoreâ!
O' quæ triumphales in orbes
Laudis io seges ampla surgit!
Io Triumphe, SENA (*a*) loquacibus
Argutus undis, Scaldis & adsonat:
Gandavianæ ter, Triumphe,
Ad numerum crepuêre rupes.
Audire mæstos jam videor sonos,
Quos strata dextræ Vindicis ictibus,
Janseniana labe in æthram
Congeminat maculosa pubes.
Mentita vultum Pacis in Iride
Nuper movebat Prœlia tutior:
Deprehensa non ulli, sagittas
Tartareo quatiebat ictu.
Candore opertum dum malè lacteo
Virus propinat, pectora fraudibus
Incauta, torpentesq; mentes
Per stygium capiebat astum.
Sed sensit orcus quæ sibi Cœlico
Spinellus Heros Marte paraverat,
Non antè sic vibrata forti
Arma manu: superisq; sensit
Mentem feracem Consiliis, dolus
Per quam omnis, & fraus retibus in suis
Hæsêre, suffusi rubore,
Et propriis tenebris sepulti;
Dextramq; dio robore, Romulis
Telisq; tutam, Relligio benè

Quam

(a) *Fluviolus Bruxellas alluens Scaldi proximus.*

Quam culta primævis ab annis
Muniit, indè decus Triumphi
Auctura; cui se poplite cernuo
Fines per omnes Civica Belgicos
Gens subdat, expulsàq; labe,
Romuleis magè flecti habenis
Assuescat. Aris tunc rediit suus
Splendorq; cultusque. Undiq; perstrepit
Festivus ardor; perq; silvas,
Perq; nemus geminatur Echo,
Extrema jam non, ut solita est, Brevis
Antris remittens Verba, sed Urbium
Totos triumphantûm Canores,
Lætitiæ & data signa reddens;
Reddens, fideles quas Tibi gratias,
Spinelle, defert & Themis, & Fides:
Te namq; Tarpeijs Magistro,
Auctus honos, nitor auctus Aris.

Eminentissimo Domino

JOSEPHO CARDINALI SPINELLO.

Invitat eum Vates ad Honoris, Gloriæq; Templum Excellentissimæ Spinellæ Familiæ Heroas inspecturum.

E L E G I A.

INgredere ô (quæ causa moræ?) Visure Tuorum
Illustres titulos, laurigerumq; decus:
Ingredere ô postes, & quos Honor excitat, & quos
Gloria amat signis condecorare novis.
Hæc Tibi stat prisca fundata ab origine sedes,
Auspi-

Auſpiciis ſedes nobilitanda tuis.
Dumq;tuos atavos longo mirabere tractu,
Teq;Tui pingunt, pingis & Ipſe Tuos:
Ingredere ò Spinelle;patent latè Atria,Templi
Saxa patent, celſo conſpicienda jugo.
Fluctibus illucet ceù perlita gemma marinis,
Neptuni ad ſuperos cùm ſalit æde ſinus.
Aut ſic,aut etiam magis emicat Edita Regûm
Sanguine Spinellæ Stirps generoſa Domûs;
Nativum, illibata, fovet jubar: Extat in illa
Purior, & nullâ ſorde notatus Honor.
Seù Pacem,ſeù bella velis, Tibi frondis olivâ
Pallas,obit lauro Mars tibi ovante Comas.
Sivè cupis ſuperis ſacrare penatibus annos,
Agnato occurrit Gens tibi ſacra polo;
Infula quam decorat,latiumq;ſuperbius oſtrum;
Quamq; ſibi addixit Religionis amor.
Ille,viden! crines cui cingit Vitta,Parentem
Gens Roſciana humili quem venerata genu;
Major Avis,major Virtute,Antonius ille eſt; (*a*)
Quèm reſono laudis murmure Fama Canit.
Quod jubar? ò quæ oculis nova lux affulget! in axe
Cui cedant gemino quæ micuere faces.
Te ſignat flamma illa,ſuoq; Philippe, (*b*) colorat
Lumine,Atellanæ, quam regis,Urbis amor.
Ille quidem latio decoratus murice,Juris
Romulei aſſertor tempus in omne fuit.
Illum Roma,illum Siren ſuſpexit, euntem
Suſpe-

(a) *Hic eſt Petrus Antonius Spinelli Roſciani in Brutiis Præſul.*

(b) *Philippus Spinelli ex Ducibus Seminaræ, ex Principibus Cariati, Policaſtri primùm, deindè Averſæ Præſul, apud Ridolphum Cæſarem Romanæ ſedis Legatus Cardinalis Anno 1605.*

Suspexit famulis cernuus Ister aquis.
Queis radiis, Atenolphe, (*a*) micas, Famæq; triũpho!
Quem parili auspicio Tu, Friderice, (*b*) subis.
Scintillant gemini, velut Ætheris Astra, pyropi,
Hinc Battus, (*c*) Maria (*d*) hinc; cum Genitrice (Pater.
Alter sidereis, terrâ lugente, receptus
Sedibus, Eubæos altera ditat agros:
Nomina Chalcidicis Siren quorum addita Fastis
Servat; inexplendos ducere digna dies.
Nobile Virtutum Par scilicet, ardor aviti
Sanguinis, aut Pietas concelebranda venit.
Illũ Fama Numæ similẽ notat, Hanc sibi Candor,
Integritas, animi robur, & alma Charis.
Fulget in ore pudor, divina Modestia vultu;
Ridet in ingenuis gratia rara genis.
Lumina simplicitas, frontem Clementia, linguam
Ornat nectarei copia larga soni. (*e*)
Non ego te indictũ, Patriæ decus addite, Thoma,
Transierim; Generis maxima pompa Tui.
In Te Pacis honos, in Te stat Gratia Recti;
Et decor, & priscæ Nobilitatis amor.
In Te conspirant Virtus, & Gloria: summis
Ista Viris, Superis Te facit illa parem.
Nec vos prætercam (*f*) Antonj, Michaelq; paternæ
Virtutis geminum qui datis ore jubar.
Indê

(a) *Athenolphus Spinelli sub Friderico II.*
(b) *Fridericus Spinelli sub Rege Manfredo.*
(c) *Jo: Baptista Spinelli Fuscaldi Marchio Eminentissimi Domini invictus Genitor.*
(d) *Maria Imperialis ejusdem Em. Dom. Parens.*
(e) *Thomas Spinelli Fuscaldi Marchio Eminentissimi Domini Germanus Frater.*
(f) *Antonius, & Michael Spinelli Eminentissimi Domini Germani Fratres.*

Indè alii super,atq;alii,quos intulit astris
Gloria,& æternùm vivere Fama dedit:
Quos qui scire velit,rutili velit ætheris idem
Discere, quàm multis ignibus astra micent:
Aut,ubi hyperboreæ concrescunt monte pruinæ,
Nosse quot in stratos vellera agantur agros.
Nam quis Galassos(a)memoret,memoretq; Renatos?(b)
Quos ornat titulis gloria parta novis:
Omnes laurigeris auctos insignibus, omnes
Augentes priscum laudis amore decus.
Sed quid ego repetam Majorum Gesta Tuorum?
Non benè apollineâ gesta canenda chely.
Sit mihi posse datum,Joseph, te cernere: in uno
Majorum vultu stant monumenta tuo.
Sic,umbras inter,noctisq;silentia , Phæbi
Stat nitor;Astrorum cum subière faces.

Ad Eminentissimum Dominum

JOSEPHUM CARDINALEM SPINELLI.

Animi lenitas tanti Principis commendatur.

O D E.

SIc est ; gratior accidit
Post nubem rosei Vultus Apollinis ;
Quo campi sata, & Appulis
Mox addenda Ceres fluctuat horreis ;
Et Natura benigniùs
Se Lucis Domino ditat in auspice.
Turbari indocilis citat,

C Sur-

(a) *Galassus Spinelli sub Carolo II.*
(b) *Renatus Imperialis S.R.E. Cardinalis,Eminentissimi Domini Avunculus.*

Surgat Phœbus, equos, aut cadat; Obvia
Utcumq; aspiciat polo,
Obstent quæ gradibus, Monstra; silentibus
Flammis hæc tamen edomat,
Palmam compositis subripiens genis.
Talis Principibus decor,
Et vultus rutilat mitior aspici,
Tersâ nube Supercilj.
Illum, seù Populis spargat opes, sua
Laus queis stet meritis, ferat
Seù jus sæva Themis, quâ fugiat scelus,
Uno nil Varium in statu
Mirentur nocui, ac innocui simul.
Almas pande genas, beet
Se vultu (ægrâ diù) Parthenope tuo,
Spinelli Generis jubar,
Cui sedes regere est Euboicas datum:
In blandis rutilans genis
Ridet Spes, & Amor, grataq; Faustitas;
Exemplumq; Operis Tui
Transcribunt Populi; quos nihil attinet
Iræ se dare nutibus,
Irasci Euboico Præsule nescio:
Cives (auguror, auguror)
Vos Pax alma manet; fingite gaudia ad
Lætis pectora plausibus.
Pressis Chalcidico in littore jurgiis,
Æmi rupibus occulet
Se Mars, belligeri turbinis immemor.
Et post funereas minas,
Crines Palladiis frondibus obtegam.
Per Vultum Iris amabilem,
Quæ se lenè rubens explicat, Italis
Pacem Gentibus indicat
Solaturam animos sollicitos diù. Al

Al merito Singolare

Dell' Eminentissimo Signor

CARDINALE GIUSEPPE SPINELLI.

SONETTO.

POrporato Signor, che in biondo pelo
Emuli nel Saper l' Età vetusta:
Ma più coll' Alma di Virtude onusta
Degno ti rendi Emulator del Cielo.
A Te Natura alza l'arcano Velo;
La Grazia più. Quella, dov' è men giusta,
Domi; di Questa nelle fiamme adusta
Tua Vita, abbatte il Vizio, e cresce in Zelo.
Di Virtù, di Sapienza ò nobil Duce!
Sposata in te la mente al Cuor si vede.
Dall' uno l' altra e forza acquista, e luce.
Sù l' uno, l' altra alzando tu la Sede,
Novello giorno e questo, e quella adduce.
Sol sei di Caritade, Alba di Fede.

In Idem Argumemtum.

METAPHRASIS.

HEroûm, Spinelle, genus, Juvenilibus annis
Longævos longo qui præis orbe Viros.
Sed magis ipse animo donis Virtutis onusto,
Æthereis certas (ut petis Alta!) plagis.
Ingenio Natura tuo se se explicat, umbris
Totaq; depulsis inspicienda venit.
Naturam verùm ipse domas, ubi flexerit; Igne
Tactus & à supero Crimina blanda cremas.
Virtutis Ductor, Sophiæq; ter ample, suas dum

Cor Menti, Mens Cordi additur, auget opes.
Ipse sub amborum tollens Molimine sedem,
Addis utriq; faces, addis utriq; decus:
Cui radios Charis ipsa suos, & lumina debet,
Candida dum Terris fulgurat, alma Fides.

Ad Eundem Eminentissimum Dominum.

Alluditur ad gentilitium Stemma exhibens plures Stellas.

EPIGRAMMA.

LActea stellifero quæ Zona renidet in axe,
Heroúm ad Cœli est Semita facta plagas.
Altera at in Terris Zona Emicat. Inspice Stemma
Præsulis; ad Superos hæc iter Astra notant.

Ad Eundem Eminentissimum Dominum.

Alluditur ad ejusdem Eminentissimi Præsulis Nomen, & Cognomen.

EPIGRAMMA.

SPinelli famam præclara ab origine ducens,
Josephus dici, Maxime Præsul, amas.
Quid sibi cum Spinis vult florea pompa? paternũ
Spina decus, flores nam sibi Nomen habet. (a)
Proh! Patriæ sincerus amor, proh! Cura Tuorum.
Dum vernas aliis, Spina stat una Tibi.

ALIUD.

NOmẽ habet flores, Spinas Cognomen. Utrũq;
In laudes cedit, Magne Dynasta, tuas.

Flo-

(a) *Alluditur ad Virgam D. Josephi in flores erumpentem.*

Florem Spina fovet, Flos Spinam. Sic mihi Spina
In florem, in Spinam Flos Tibi, Præsul, abit.
O' Amor! In Gnatos florescit Spina. Parentem
Floribus in mediis Spinea Cura premit.

DISTICHON.

Alluditur ad ejusdem Em. Domini Cognomen.

NE Cyprias sectare Rosas, Eubæa Juventus.
Arcet ab his Domini SPINA, negatq; legi.

Ad Eundem Eminentissimum Dominum

In Juvenili adhuc ætate ad Maximos Honorûm apices evectum.

EPIGRAMMA.

ESt suus in Cœlo Phœbeis cursibus ordo;
Dianæ suus est, Sideribusq; suus.
Temporibus suus est: Per menses volvitur annus,
Perq; dies mensis, per cita puncta dies.
O' ingens Spinelle, rotas dum scandis honorûm,
Et super astra poli te tua gesta ferunt;
Antevolans, meritis menses prævertis, & annos;
Et tibi maturos pompa statiantè dies.
Sic tibi lux prima summa est in origine; Tempus
Dedidicit cursus dinumerare suos.
Omnia sic veniunt in te simul agmina Honorûm.
O' Virtus cunctas vincere nata moras!

Eidem Eminentissimo Principi

Neapolitanum Collegium Maximum Soc. Jesu suâ Præsentiâ cohonestanti.

EPIGRAMMA.

AFfines non Cœlo apices, non Nobile Textũ;
Nec propè Phidiacâ mænia ducta manu;

Non auri, argentiq; nitor, phrygiiq; labores;
Nec quæ Palladios instruit Aula choros;
Non Musis sacri Juvenes, doctæq; Stagyræ,
Aut quæ divino fulgurat igne Domus,
Alliciunt Oculos, rapiuntq; ad Gaudia mentem;
Nec nostræ sedes causa sit ista moræ.
Ex quo Loyolæ sacram hanc lustraveris ædem,
Incipiam Hospitio nobiliore frui.
Tecta, Aurum, Pallas, Musæ, geminæq; Palæstræ
Spinello fuerint inferiora Viro.

In idem Argumentum

DISTICHON.

(po.
QUã cernis, Josephe, domus, par surgit Olym-
Par surgit Domino non tamen illa suo.

Ad Eundem Eminentissimum Dominum

In præfato Soc. Jesu Collegio brevi tempore Commorantem.

EPIGRAMMA.

SUccedas Loyoleæ, Spinelle, quòd Aulæ,
Lætor; erit vultu clarior illa tuo:
At doleo, in nostris quòd Te mora parvula tectis
Detineat. Votis Sors minùs æqua meis!
Cur non hic sedes, cur non hic mænia figis?
O' nimiùm propero Gaudia fluxa gradu!
Cynthie, vel seros Pindo preme Carmen in an-
Præsule materiem sufficiente chely: (nos,
Æthere equos vel siste tuos, refugamq; Quadrigã;
Non sit ut hora die, mense diesq; minor.

Ad

Ad Eundem Eminentissimum Dominum.

PROGRAMMA

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLIUS

Anagramma literale purissimum.

Ille Pius, Clarus in Sophia Sidens.

EPIGRAMMA.

Commendatur ejus singularis Pietas,
& Sapientia.

EX quo Josephus vitales venit in auras
Augusto insignis stemmate, Dives opûm;
Et Sophia, & Pietas cunas cinxêre: vicissim
De Puero litem, pro Pueroq; cient.
Hinc Pietas certat, Sophia hinc. Est viribus illa
Nixa suis: nixa est viribus ista suis.
Altera in alterius sua jura in jura reponit.
Unus erat rixæ dulcis origo Puer.
Hic meus est, inquit Pietas. Polus addidit Aris;
Jussit & in cunis hunc Charis esse sinum.
Hic meus est, addit Sapientia. Pallas adoptat
Jam sibi; & in cunis hunc sacra laurus obit.
Has inter pugnas rapidis Amor adstitit alis.
State Deæ: ambabus par erit iste Puer.
Ille Pius, Sophia sidens, & *clarus in* alma
Materiem solidæ laudis utriq; dabit.

Ad Eundem Eminentissimum Dominum.

PROGRAMMA

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLIUS

Anagramma literale purissimum

In illo, Siren, Laus, Pacis spes diù.

EPIGRAMMA.

JAm Spinellus adest: *Siren, spes Pacis in illo,*
Arma licet patrium visa tenere solum.
Quà prece, quà votis Martem frænabit in Æmo;
Chalcidicâq; *diù* pellet ab Urbe procul.
Hoc Duce, *Laus* potior Tibi stabit; erisq; per Or- (bis
Majori geminum laude ferenda latus.

Ad Eundem Eminentissimum Principem.

PROGRAMMA

JOSEPHUS CARDINALIS SPINELLIUS.

Anagramma literale purissimum

Adsis ipse, Soli uni Par illucens.

EPIGRAMMA.

PRæsule jamdudum Siren viduata, tenebras
Inter, sollicitos ferre coācta dies.
O' tandem Josephe, veni, noctemq; nitore
Solve tuo; & Patriæ (quæ mora?) redde jubar.
Uni adsis ipse illucens par omnia *Soli.*
O' quantum Eōæ lampadis instar habes!

Ad

Ad Eundem Eminentissimum Dominum.

Cùm Neapolim proficisceretur Sacrâ Purpura decoratus.

EPIGRAMMA.

CUM te Romuleis, ò Princeps, Albula campis
Cedere, & Eubæas vidit adire plagas,
Risit; & ò, dixit, latii lux clarior Ostri,
Perge, licet; melior nam rediturus abis.

Ad eundem Eminentissimum Dominum

Honoribus decoratum, Honorûm Decus.

EPIGRAMMA.

(strat:
ARtibus unus Honos, quo stant, alimēta mini-
Ingenio sua dat pabula & unus honos.
Mente tuâ nutritur honos, Ter Maxime Præsul;
Insequitur mores laus quoq; vera tuos.
Tu laudis pretium, mercesq; insignis Honoris:
Crescit io meritis illaq; & iste tuis.
Quâ laudûm pompâ, pompave beeris Honorûm;
Cùm Tu laus unus laudis, honoris honos?
Si debes ostro, undè micas, patriæq; Thiaræ;
Plus ostrum debet, plusq; Thiara Tibi.

DISTICHON.

DAt Sol Auroræ radios, Auroraq; Soli. (nos!
Per Te quo rutilas, quàm benè fulget Ho-

PAR-

Ad suum Eminentissimum Dominum.

EPIGRAMMA.

QUalis ab axe redux Terras Sol lustrat Eöo,
Euboicis Joseph visus adesse plagis.
Gratulor ipsa tibi, magè sed mihi; Teq; Parentem
Prona colam, Genitrix quæ tibi nuper eram.

Giubili di Partenope per il suo novello Arcivescovo.

SONETTO.

GIorno felice a me! cinta di Rose
Cui richiamò dall' Oriente Aurora.
Giorno, che l' ombre rischiarando, indora
Unà co' colli, e i Pian, le Valli ascose.
Nebbia sì bel Seren turbar non ose;
Ne il brio di tanta fiamma unqua si mora;
Dal Monte allor rispose Ecco sonora:
Da sinistra tonando il Ciel rispose.
Passi da luce a luce il mio PASTORE;
Al Sebeto sottentri il Tebro; e'l pondo
Della Terra, a' suoi piè curvo, l' adore.
Così fia; che Signor reso del Mondo,
Spanda in più nobil foggia il suo splendore.
Giorno a tutti sarà quello giocondo.

METAPHRASIS.

O' Mihi fausta dies! roseo quam crine renidens
Tithoni reducem ex Æde vocavit Eos.
Fausta dies! umbras quæ solvens, Rura colorat,
Culminaq; & radiis invia saxa suis.
Ausit nulla olim nebula hoc turbare Serenum;

Gra-

Grátia nec tantæ stet peritura facis ;
Monte repercusso rebóans tunc reddidit Echo;
Læva e parte flagrans reddidit igne Polus.
Luce nová Præsul rutilet meus: amne remixto,
Excipiat patrios Tibridis unda lacus.
Illius antè pedes Tellus se sternat , adorans :
Spinelliq;ferat sidera ad alta Decus.
Sic erit;ut culti Rector jam Maximus orbis,
Fulgidiùs gremio fundat amante faces.
Sic erit;euboicas ut quæ modò fausta per oras,
Fausta,pari plausu, tunc sit in orbe Dies.

Eminentissimi Domini

JOSEPHI CARDINALIS SPINELLI

Laudibus Canendis imparem se fatetur Poëta .

E P I G R A M M A.

PArnassi quamvis tua se per tempora flores,
Quos ligat in Sertum Turba Novena,darent:
Phæbæo quamvis reböarent Culmina cantu;
Cynthius in titulos iret & ipse tuos :
Quid foret Id,Joseph, ad Te benè laude ferendũ?
Quid foret ad patrium,quo celebrêre,decus?
Accumulē Tibi plectra,animamq;in Carmina fũdã;
Carmina nũ famæ,plectra vel apta tuæ?
Nil est in Pindo suppar tibi. Cynthius ausis
Excidit: Aoniæ nil valuêre Deæ.
Transcendis bifidos colles,Aganippidos undam:
Sunt Cyrrhæ meritis saxa minora tuis.
Quod damus, est Nihil.An multum?Nihil esse fatetur
Quod dederit,multum scilicet Ille dedit.

OPE-

OPERIS ABSOLUTIO.

SApienter quidem, Academici, ac dilucidè, quod vestrum Ingenium est, Uterq; suam Problematis partem tueri est conatus. Magno utraq; Dissertatio rationûm pondere nititur. Equidem in eam descendo sententiam, & Honores ad ostendendam Virtutem, & Virtutem ad cohonestandos Honores conducere quâmmaximè. Ab utronam gloriosior Homo futurus? Non meum est litem hanc pro virili dirimere; Cùm in Eminentissimo nostro Mecænate utrumq; ad cumulum suspiciamus. Lugeret tanta Virtus, si merito honore careret: Honores contrà, quibus in tenera adhuc ætate effulget, & ipsimet sordescerent, si sociam non haberent Virtutem. Illud unum superest, Auditores, ut sicut libenti animo, ac pronis auribus hanc qualemcumq; Academicam Dissertationem excepistis, quod vestræ fuit humanitatis; illius sic audaciæ, quòd onus viribus impar suis suscipere ausa sit, ignoscatis.

D. Princeps Academiæ.

IGNATIUS LE PIANE.

D. Academicus, qui Priorem Dissertationẽ exhibuit.

XAVERIUS SIMONETTI.

D. Academicus qui Posteriorem Dissertationem exhibuit.

INNOCENTIUS CORONA.

D. D. Academici, qui Carmina exhibuerunt.

Nicolaus, & Joseph Ferrari.
Januarius Isoldo.
Marianus Galasso.
Stephanus Longobardi.
Dominicus Milone.
Raphael Medici.
Laurentius Piacente.
Nicolaus Tullii.
Joseph Cafora.
Franciscus Pepe.
Dominicus de Causis.
Pasqualis Quistelli.
Lucas Taiamo.
Thomas Cucurulo.
Thomas Ramosino.
Matthæus Borza.
Cæsar de Afflitto.
Agnellus de Francis.